MEMORIA FABRICIANA

REVERENDISSIMO AC VENERABILI

VIRO
IOANNI FABRICIO

SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIS
AC LVNEBVRGENSIS CONSILIARIO
ECCLESIASTICO,

REGIAE LVTERAE ABBATI,
ET PROFESSORI THEOLOGO IN INCLYTA
IVLIA PRIMARIO,

CANTATA

A

I. W. P. S. T. D.

MDCCVI.

EXCVSA ANNO CHRISTI MDCCXXVIIII.

Digitized by Google

Claudianus in Conſul. Manlii.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunae ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.
Attamen invitam blande veſtigat, & ultro
Ambit honor: docuit toties a rure profectus
Lictor, & in mediis conſul quaeſitus aratris.

Digitized by Google

FABRICIVM canimus magnum, quem Altorfia mater
Progenuit, fovitque; ſuis Academia fibris,
Ingentes inter proceres, myſtasque verendos,
Hic ſibi majorum a tergo genus omne relinquit,
Maior avis, proavisque ſuis, quem conſcia virtus,
Supra ſortem hominum, tardi & confinia vulgi,
Tollit, & agnatis illum conterminat aſtris,
Qui ſupra rabidos morſus, dentesque malignos,
Et ſupra invidiam, lunae, ſolisque labores,
Coelum ipſum penetrat, ſeque altis ſedibus infert,
Vnde venit, Numenque ſibi, divosque propinquos
Concilians, vaſta complectitur omnia mente,
Ipſe ſui menſura, ſui compendium & aevi,
Ac decantato praeſul divinus in Elmo.
O utinam, ut cuperem, poſſem te ſculpere vivum!
Non ſecus, ac ligno ſtatuam qui extundere acerno
Cogitat arte opifex, ſacrata in ſede locandam
Exutum nondum foliis, & cortice duro,

Digitized by Google

Informem primum cernit ſine nomine truncum;
Si vero arte ſua & ſtudiis acceſſerit, & quae
Sunt curva, aut obliqua, ſuo correxerit aere,
Divinum producit opus, nova forma reſultat,
Quaeque intus latuit, ſub apricum ſurgit imago.
O ſi ego tam felix fuerim Lyſippus in arte,
Atque opifex eſſem, qui gemmam vinciat auro,
Quam virgo digitis geſtare micantibus ambit,
Atque laborato cupit exardere ſmaragdo!
Sed me deſtituunt vires, eſt dempta facultas,
Et rude fit donum noſtrum, indigeſtaque moles,
Truncus iners, tectumque ſitu ſine nomine carmen
Magnae molis opus, numeris includere facta
Heroum, & celſis ceciniſſe encomia divis,
Aut caſtum ſacris accendere ſedibus ignem.
Vnde mihi valde timeo, & me durus & aſper,
Caſtigo, ſi quae numeris minus apta canantur,
Nec doctas forſan vox barbara vulneret aures.
Novi ego, cenſorem quantum ſim nactus acerbum,
Quosque oculos, quanta ſit opus contexere lima
Carmen, & aonio monimentum ponere Phoebo,
Saepe aliquos verſus volui componere, ſed mox
Delevi trepidus, quae feci carmina: namque
FABRICIVS, dixi, leget haec, is grande, venuſtum,
Sacrum, auguſtum, ingens, pulchrum, & ſublime poëma
Poſtulat, & comptas, quae fulgent ore, Camenas.
    Quid faciam? Pudor eſt, decora inter tanta ſilere,
Sed laudare, labor; Noſtrò tu accede labori,
Inclyte vir: nam ſi ligno tua dextera formam
Indiderit, coeptoque operi inſudaveris ipſe,
Arti addens pretium, jam digna micabit in auro
Gemma, ac auguſtum fluet alto e pectore carmen.

Da

Da mihi te, Muſamque tuam, caſtamque Minervam
Funde lubens. Sic me vincet nec thracius Orpheus,
Nec ſacra Calliope, nec carminis autor Apollo.
En, quonam rapior? quis me iam ſpiritus afflat?
Iam feror, & iam viſa mihi decreſcere tellus,
Et fugere ex oculis, iam pectore ſentio Phoebum,
Ardoremque novum, magnamque ad grandia mentem.
Offero iam tibi te, Muſis digniſſime praeſul,
FABRICIVM cano FABRICIO, flamma intus agente,
Accenſus meliore Deo, ſublimia tango
Barbita, digna cani: neque enim praeſentior alter
Te fuerit, vires qui det vel plectra poëtae.
Et licet haud omnem (quis concinat omnia de te?)
Spiritum, & excultam, vivamque expreſſero formam,
Non tamen effictis verbis, fictoque colore,
Scribere conabor, falſasve extollere dotes.
Pigmentis nullis opus eſt, nulloque cothurno,
Ipſe tibi laus es, ſolus tibi ſufficis ipſi,
Hocque unum exoptas, ac iuſte a vate requiris,
Non niſi vera loqui, nil falſi dicere velle.
Vnde autem incipiam? Tantarum exordia rerum,
Quae me circumſtant, rapiunt me vortice magno
In maria immenſae laudis, me multa moratur
Copia, nec certo patitur procedere paſſu.
Nam veluti, ſi quis, luna regnante per Arcton,
Aſpicit, ardentes ſtellas, & ſidera pulchra
Lege rapi, volvique novas rapido axe figuras,
Expanſi convexa ſtupet, cum clarior usque
Stella micet, dubiumque oculum formoſa relinquat,
Num ſibi Caſſiope placeat, num magnus Orion,
Syrius, aut Cepheus, an tardi plauſtra Bootes,
Aut ariadneae miretur regna coronae.

Vel, ſi quis tectum ingreditur, quo nobile ſtratum
Aere pavimentum, Zeuxisque inſignis in arte
Effigies pinxit varias, quas vivere iuret,
Ac longum cupiat viſis haerere labellis,
Obſtupet, ignoratque diu, quae pulchrior harum,
Quam ſibi ſpectandam ſumat, nam quaelibet ipſum
Detinet effigies, doctosque invitat ocellos,
Atque ipſum huc illuc viſa in tam dulcia raptat:
Sic quando ipſe tuas diſcerno in pectore dotes,
Atque artes varias, divinae oracula linguae,
Et vaſtum ingenium, pulchramque ante omnia mentem,
Quam tibi conceſſit Numen, quam pinxit Olympus,
Me mihi ſurripior, qui tot mihi fulgida cerno
Sidera, & innumeras, quas vix deſcripſero, ſtellas,
Divinae monimenta tuae, quae cernuus ipſe
Admiror prorſus, quorum quid pulchrius exſtet,
Quidve probem primum, multum mens pendula nutat.
Quid memorem antiquae clara incunabula ſtirpis?
Quis venerabilior ſanguis? quae maior origo
Theilogos inter fuerit, vel gloria myſtas?
Vidi ego praeluſtres *atavos*, longo ordine pictos,
Non interrupta ſerie, divina ferentes
Eloquia, & Sanctis admotos iugiter aris,
Quos fidos ſemper Reſpublica Norica teſtes,
Atque evangelium conſtanti mente profeſſos
Novit, pacificosque ſibi eſt venerata magiſtros.
Vidi ego depictos, *Lutherum*, eiusque * *fidelem*
Neſtora, quorum ora & divini umbracula vultus,
Kranachii depicta manu, transmiſſa Philippo
Veſtra, ipſo Momo vel iudice, delicioſa

Bibli-

* Phil. Melanchthonem.

Bibliotheca capit, rarorum, foeta librorum.
Hoc quoque praecipua laudum eſt in parte locandum,
Quod cum FABRICIO quondam ſeniore Philippus
Iunxit amicitiam; namque exſtat epiſtola ad ipſum
Miſſa melanchthoniis pleniſſima litera votis.
Ille pio generi veſtrisque nepotibus olim
Vota dedit morti propior, verusque propheta
Exſtitit: agnoſcunt praeſentia tempora vires
Numinis arcani, dum ſe FABRICIA laurus
In tot ſurgentes diffudit ſplendida ramos,
Teque, o Abba, tuens, et avitae gentis Iulum,
Miratur guelffae tua celſa cacumina mitrae.
Hæc licet aetherei ſint ſigna arcana favoris,
Non tamen illa meis dant argumenta Camenis,
Vt laudis ſint ſcena tuae: tua plurima virtus
Majores ſuperat, cunctos et ſtirpis honores,
Plusque illis famae tribuis, quam ſumis ab ipſis.
Linquo ergo annoſos proceres, nam tu mihi ſolus
Carmen eris: neque enim gentis facta inclyta factis
Immiſcebo tuis, cum ſtirps laudata tuorum
Sit laus emta tibi, neque dignus is audiat haeres,
Qui tantum ſe laudet avis, et ſtemmate nudo.
Gloria vana tibi, proprio ni Marte triumphet:
Hinc veteres cerae, vel quae non feceris ipſe,
Res aliena tibi, nec tanto praeſule digna.
Cede, Rubelle miſer, ſolo qui nomine turges,
Atque tumes alto Druſorum ſanguine, tanquam
Ipſe aliquid fueris, propter quod nobilis eſſes.
Ecquid profuerit tibi, depictos cernere vultus
Aeacidum, & ſtantes in curribus Aemylianos,
Et Curios jam dimidios, naſumque minorem
Corvini, & longa Fabios deducere cera?

Quid

Quid tibi profuerint Ciceronis nomina, ſi tu
Nil Ciceronis habes? quid aduncos ſuſpicis Ancos?
Aut Coſſi faciem monſtras, atque ora Camilli,
Si te ipſum antiquae confutet gloria famae?
Aſt ſi magnifico generi ſtudia ipſa maritas,
Et tua nobilitas ſit vera atque unica Virtus,
Nobilis es, ornasque tuos in ſanguine Druſos.
Omnia FABRICIO decora haec viſuntur in uno,
Et genus, & proavi, prælataque nobilis Elmi
Infula, Lothario quondam ſacrata ſebaſto,
Gloriaque & virtus, & magni pondus honoris,
Et quae optare velis. Pater immortalis in illo eſt,
Immortalis avus, clarorum ac ordo virorum
Incipiunt doctis ejus reviviſcere ſcriptis,
Quae vulgat, patulumque alio transmittit in orbem.
Et quamvis cunctis ſeſe putet eſſe minorem,
Neve illis cupiat melior vel major haberi,
Praeclaros tamen attrahit in compendia Patres,
Fabriciumque genus titulis majoribus implet.
    Ecquis, magne virûm, non haec ad ſidera tollat?
Nec mandet ſerae per poſtera ſecula famae?
Ipſa quidem virtus, & magni nominis autor
Non amat ornatas phaleras, nec laudibus ullis
Indiget, aut plauſu cupit inclareſcere vulgi;
Attamen inſequitur fugientem, atque occupat ultro
Servus honor, rutilisque ipſam mox inſerit aſtris.
Ipſa etiam pietas, in verſu ſimplice magnos
Occultans ſenſus, hic muta ſilentia damnat
Ac loris adigens, a me pia carmina poſcit,
Carmina, patrono memorem teſtantia mentem,
Carmina, venturo quondam evolvenda nepoti.
Nam licet ipſe cani detrectes, maxime fautor,

Non

Non tamen eſt nobis, muſa ipſa urgente, videndum,
Quid veſtrae poſſint aures ſufferre modeſtae,
Quam quae debetur tantis virtutibus ara.
Compleſti famam meritis, nihil atque relictum eſt
Quo virtus animo creſcat, vel ſplendor honore:
Omne tenes punctum, nec habet, quo gloria ſcandat
Vlterius, capiantque novas tua tempora laurus.
Interea haud leviter de te mihi gratulor ipſe
Qui laudor, dum laudo virum, celebrisque per ipſum
Efficior, magnumque orturum ſentio nomen.
Valde inde admiror, quod ſudus fronte ſerena
Excipis ipſe meas, et blando ſidere Muſas,
Et legis, ac ornas etiam, clauſtroque fideli
Aſſervare cupis noſtros, pia debita, verſus,
Atque putas parvas aliquid tamen eſſe Camenas.
Sunt in honore tibi vates, ac ſuſpicis ipſos,
Damnaturque levis ſtupida ignorantia ſcamni,
Quæ ſibi neſcio quam cenſuram in carmina ſumit,
Irridetque bonas jactatis vultibus artes,
At juvenis macedo, terrorque orientis & orbis,
Qui victum docuit ſubmittere cornua Gangem,
Bellis in mediis ſmyrnæum accivit Homerum.
Ille triumphatae domitor Carthaginis, ingens
Scipio, perpetuum cui contulit Africa nomen,
Adiunxit calabrum ſocium per praelia vatem,
Iulius erectis pangebat carmina caſtris,
Auguſtusque, eius ſucceſſor, plectra movebat
Mollia, quem Iano occluſo, fractisque ſagittis
Non puduit domina carmen conſcribere dextra.
Anne putas, gentes tantum ceciniſſe poëtas?
An non Ieſſides cecinit per paſcua Bethlae,
Rex idem, paſtorque hominum, ſidusque regentum,

Cui dedit arcanos coeleſtis ſpiritus hymnos,
Plurima de Chriſto teſtatus? Sic quoque magnus
Rex Salomo, quo non unquam ſapientior alter,
Myſtica deſcripſit ſancti connubia lecti.
Hinc ego vel primis vigilatum carmen ab annis
Dilexi ſemper, natamque e pectore ſuadam,
Quae caſtum ſaperet Latium, muſamque Maronis,
Vel pharii vatem ſequeretur fida Canopi.
Obſcura, fateor, merſae caligine Muſae
Errarunt paſſim, totoque Helicone fugatae,
Seceſſus, ſedesque novas, aliosque penates
Quaeſivere ſibi: pauci, quos aequus amavit
Arbiter, aut ardens evexit ad aethera virtus,
Hoſpitio profugas, laete excepere ſorores,
Algentesque ſuis blande fovere ſub ulnis.
Aſt cum, Maecenas, es noſtra allapſus in arva,
Nymphas aſpiciens laceras, neve amplius undam
Caſtalios praebere lacus, marceſcere laurum,
Mox ſortem noſtram valde es miſeratus iniquam,
Primaque cura fuit, longe propellere pigram
Barbariem, & Phoebum ad ſedes revocare fugacem,
Exornare deas, ac priſca inſignia & oſtrum
Reddere & effigiem primam, lucemque referre.
Credo equidem, electum te prima aetate beatis
A Superis, Sanctosque tibi arriſiſſe faventes,
Et bona vatidicis ceciniſſe haec omnia nervis:
Noſter amor, magnum ſacro decus addite monti,
Fauſta tibi ſuperae promittunt omnia mentes.
Tu claram proavûm ſtirpem, & pia facta tuorum,
Virtutesque tuo vinces ſplendore paternas.
Exiguum eſt, patriis tantum ſi noſceris oris,
Antraque FABRICIVM pegneſia tollere noſtrum,
Inque

Inque tuas laudes vicinum aſſurgere Suevum,
Aut tua magnanimos cantare encomia Francos:
Sequana te, Rhodanusque, ingentique amne Garumna,
Te Rhenus, te Danubius, te Tibris & Arnus,
Te batavae diſcent clarum cognoſcere ripae,
Te helvetii montes, & nubifer Apenninus,
Te ſilvae herciniae, te Iulia nobilis Elmo,
Te Trava, te refluis noſcet pater Albis in undis,
Aut quascunque ſinus lambit Codanus arenas,
Et quos prutenicos humectat Viſtula campos,
Te nomenque tuum longinqua in ſecula mittent.
Dicta fides ſequitur: ſimul ac has natus in auras,
Exceptusque piis fueras puer editus ulnis,
Ipſa Deo ſtudiisque ſacris te cura parentum
Deſtinat, ac fidum Euſebiae commendat alumnum:
Mox te etiam aoniis nitidae lavere ſub antris
Caſtalides, mollemque tuam fovere iuventam;
In qua praecocibus voluiſti prodere ſignis,
Quem ſperare ſibi poterat provectior aetas,
Aurora teſtante, diem. Te protinus anni
Formavere rudes, ſocios praevertis ephebus,
Et praetextato magnum promittis amictu.
Sic roſa, vere novo, cum terra reducit odores,
Maxima promittit: primum dureſcit in orbem
Folliculus, barbamque ſibi producit acutam;
Mox tumet, & tunicos horto oſtentare virentes
Incipit, & ſuppreſſa diu ſub cortice proles
Turget, agens rimas tenues, & vertice ſummo
Purpureas dilatat opes, rubicundaque labra;
Poſtremo cum pulchra ſuum Matuta ruborem
Spargit, & aethereum glomerant nova gramina rorem,
Panditur omne decus, valvisque emiſſus apertis

 Flos

Flos hiat, & laeto arridet venientibus ore.
Sic quoque FABRICIVS, primo ſub flore iuventae,
Magnum aliquid de ſe iuſſit ſperare magiſtros.
Hi plane inſolitos cernentes nobilis ignes
Aſcanii, & nunquam laſſati ſigna laboris,
Quae ſibi venturi de te non maxima ſoles
Promittent, dixere, quid altorfina videbunt
Pulpita, cum totam tua ſe roſa pandet, & illud
Quod latet interius decus, & mentem exſeret omnem?
Tunc virtutis honos, cum iam compleveris annos,
Divinaeque tuae ſint panſa arcana Minervae,
Ingentisque animi, clauſtris valvisque recluſis
Rumpet, & auratum Muſis oſtendet amictum.
Nec falſum cecinere viri: namque entheus ardor
FABRICII, haud vulgare ſapit, faſtigia ſcandit,
Seque adytis ſapientum infert, cui tota receſſus
Pandit Cyrrha ſuos, & ſeſe Tullius audit
In iuvene, illiusque animum ſic Livius ingens
Implet, ut auſonium putet hunc, Criſpusque latina
Primus in hiſtoria miretur teutona, per quem
Grandia dicturum ſeſe romana vetuſtas
Explicet, argivae & pateant myſteria linguae,
Ancipitesque ſcholae, cum, quidquid credidit olim
Stoa vetus, quae Pythagoras, quae magna Platonis
Mens fuit, exquirat ſolers, ſervetque repoſta.
Ingens hinc maiora petit ſubſellia cultor
Palladis, & celebres ſequitur non tardus Athenas.
Audit *Wülferum*, praecellentemque *Dilherrum*,
Qui fide monſtrat ſanctae veſtigia linguae,
Et reliquos audit ſub eodem tempore myſtas.
His tinctus, caluit noſtri quoque nobilis Elmi
Viſere athenaeum, quibus innutritus in hortis

Ipſe

Ipſe pater fuerat, magno decoratus honore.
Magnum hoc Iuleum eſt, in quo vixere verendi
Saubertus, *Titius*, *Cellarius*, ille *Calixtus*
Iunior, ac toto notus *Conringius* orbe.
Hi iuvenem ſtudiis, indefeſſoque labore
Formavere virum. Vah, quanta induſtria mentis,
Quantus amor Pindi, dum non collegia ſolum
Rite adiit praelecta die, ſed iungere noctes
Duxit, & inſomnes meditando impendere lunas!
Regna dein, ſuaſu maiorum, *hungarica* vidit,
Auſtriacamque domum, & miſcens commercia doctis
Altorfum rediit, dulci quem *Dürrius* aura
Et menſa excipiens, magno eſt dignatus amore.
Nec deerant virtute ſophi, quos inter agebat
Excellens hebraeo *Wagenſeilius* ore,
Notus Hylas, quem deciduis academia plorat
Planctibus, & magni quem ſemper fecerat ipſe
FABRICIVS, doctusque illum ſuſpexerat orbis.
Ipſe *parens*, (quis enim maiori incenſus amore
Imbueret natum?) laete ſibi ſumpſit alendum
Doctrina omnigena, & cunctis viribus illum
Inſtruxit, divina docens, magnique tonantis
Conſilia abſtruſa, & totum reſerabat olympum:
Cumque ſit oceanus, quae *controverſa* vocatur
Theiologia, ingens, ac ſit maris aequor arandum
Errores inter varios, fluctusque furentes,
Expertus dubiis ſapiens Palinurus in undis,
Et brevia & Syrtes, & navifragas Sirenes
Monſtrabat, facilemque viam curſumque docebat,
In ſibi ſperatum quo poſſet flectere portum.
Ex illo demum, cum fundamenta locaſſet
FABRICIVS, *populo proponere dogmata verbi*,

Doctrinamque piam, guſtataque fundere verba
Inſtituit, pavitque ſuis ſermonibus agnos.
Peſſimus, & nocuus valde me iudice mos eſt,
Si quis vix primis tetigit primordia labris
Euſebies, templi tamen ardua ſcandere roſtra
Tentet inexpertus, vulgo non doctior ipſo.
Diſce docendus adhuc, qui te cupis eſſe magiſtrum
Manſuetarum ovium, paſtoris ſanguine magni
Rite redemptarum: ſi te non tinxerit almus
Spiritus, & rorans quae deſuper affluit unda,
Barbarae erunt agnae tibi, tu quoque barbarus illis.
Fac prius, exemploque doce, quae ſuaſeris autor,
Ne te ieiunum, vel vix a matre rubentem
Ipſi auditores dicant, carpantque periti.
Non ita FABRICIUS, qui paſtorale, tremendum
Angelicis humeris, atque omni munere maius
Duxit opus, renuitque ſacram cito ſcandere ſedem,
Nec niſi calcandam matura aetate cathedram.
Inde novos ſenſit *peregrina in rura* calores,
Et mores populorum, artes, variaque politos
Relligione viros, diverſo ſidere natos
Metiri ingenio, vitamque inquirere, & acta,
Quodque ſit ex uſu, fida decerpere mente.
Sunt, qui diſſuadent terras ſpectare remotas,
Semotaſque orbis gentes, ne diſſita tellus
Exoſam reddat patriam, patrioſque penates,
Ac priſcum ſenſim nobis exſtingat amorem.
Hi rectum nihil eſſe putant, nihil atque probandum,
Quod non iudicio ipſorum, nec moribus uſque
Conveniat, ſoli ſapiunt, ſibi denique nubunt
Ipſi, pallioloque ſuo, ceu ſtoica turba,
Cum Cynicis ſe includunt, umbriſque ſeneſcunt.

Hi

Digitized by Google

Hi ſatis audaces iactant, ſe poſſe ſine aere,
Et ſine difficili curſu, longisve viarum
Maeandris, graphicas tuto diſcurrere mappas,
Atque haurire ſuis, quae ſint ſibi congrua, libris.
Eſt aliquid, fateor, curta ſpectare tabella
Totum orbem, & varias regiones diſcere poſſe,
Ipſarumque ſitus, ac ardua cernere regna.
Eſt aliquid, ſi tu complexus mente capaci,
Cum Iano videas populos, vultuque bifronti
Priſca, novata notes, quae, quantaque ſecula mundus
Egerit, atque eadem repetito fabula ludo
Venerit, inque ſuis rediviva negotia ſeclis.
Quis vetet, autores ſi volveris, & tibi ſignes
Mirandas variasque vices, quo ſemine ſurgat
Relligio, aut lento pereat res publica morbo.
Docta quidem multos habet illa ſcientia fructus,
Aſt longe haec alia eſt, viſu quae naſcitur ipſo,
Cognitio, ſi tu populos, ac diſſita regna,
Atque ipſas aditu poſſis dignoſcere gentes.
Qui legit hiſtoriam, ſeu graiam, ſive latinam,
Quique ſolet nnda pugnas formare papyro,
Hic nimium ſane a vero iam milite diſtat,
Hoſtes qui vidit, belloque interfuit ipſe.
Tantum, crede mihi, viſu qui cuncta notavit,
Prudentique oculo mores collegit Vlyſſes,
Diſtat eo, ſolis didicit qui climata libris.
Ne mihi multorum morbos, moresque malignos
Obiicias, quos Italia, Gallisve petulcis
Portavere domum, vel quantum Hiſpania damni
Fecerit his, dederintque mali ſub fluctibus Angli.
Has vitat prudens, oculo cenſore, charybdes,
Et ſibi quae ſunt recta legit, ceu daedala flores

Inve-

Digitized by Google

Inveſtigat apis, quae per tot vaſta pererrat
Camporum ſpatia, & pratorum invadit honores,
Cecropiumque thymum, & candentia lilia circum
Docta volat, carpitque roſas, atque ebria rore
Vertit iter, nihil hellebori nigrantis odorem,
Et tactu nocuas nihil averſata cicutas.
Nec ſecus, ac fluvii nonnulli ſalſa vagantur
Per maria, & varios flectunt in coerula fluctus,
Nil quicquam tamen a propria dulcedine perdunt;
Sed puram praebent nautis ſitientibus undam:
Sic quoque vir iuvenis regionum perſecat aequor,
Vndantes late populos moresque probatos,
Quos hauſit cautus variis e gentibus, uſum
Affert in patrium, collectaque commoda centum,
Nil falſi retinens, ſapienti mente reducit,
Atque ſua amittit nil de dulcedine recti.
Haec dum animo ſecum, & recta ratione volutat
FABRICIVS, quanquam vix ille revixerat aeſtu,
Nervis haud adeo validis, tamen extera regna
Cominus, atque novas rapitur cognoſcere terras,
Nec non quaeque ſuo propius ſpectare theatro.
Inſignes aderant comites, quos ardor agebat
Magnus, *Bavariam*, *Suevos*, *alſatica* rura,
Et *Palatinorum* tractus, *Rhenique* meatus
Viſere, diverſasque animo diſcernere gentes.
Ante omnes *Batavi*, ſtudiis cultuque decori,
Ex quibus herōes tot deſcendere celebres,
Perplacuere ſibi; namque hic ſapientia ſedem
Fixit, ſocraticosque inter celeberrima coetus
Doctrinae delubra patent, foribusque Minervae
Inclyta victrices ſuſpendit Leida coronas.
Ipſe iterum, dum tanta cano, batavique recordor

Tecta

Tecta ſoli, reliquasque urbes, ſophiaeque curules
Amſteliae, & clarias artes, queis pollet amicus
Vel groningenſis, vel franekeranus Apollo,
Aut ubi Traiecti ſunt alta ſedilia Muſis,
Ipſe, inquam, videor tecum mihi viſere colles
Pegaſeos, doctique fores attingere ludi.
Hic non indecorem magnis te vivida virtus
Inſerit ordinibus, pulchroſque exſuſcitat ignes
Ingeniti natura animi: per grandia rerum,
Quae celare ſolent homines, per quicquid ubique
Scire poteſt mens docta, vel ignorare recuſat,
Vadit iter laudum, & vaſta diffunditur arte.
Iamque ſatur, batavis terris fluviiſque relictis,
Per *Friſios*, quorum regio conſpexit Eoum,
Et *Bremam* properans, perque *oldenburgica* late
Iugera, parrhaſiam velox contendit in Arctum.
Hamburgum deſcendit, & hanſeatica pergit
Littora, Cimbrorumque ardet contingere fines,
Magna ubi *Lubecae* reginae altaria fumant,
Roſtochiaeque roſae, vel quicquid gentis avitae
Mechlenburgenſis Henetorum nomen adorat.
Inde in *Saxoniam* tendit, tangitque *Thuringos*,
Et claram antiquo *Francorum* robore gentem,
Suevorumque iterum populos, & *rhaetica* corda
Conſpicit, ac *venetam* navi ſe flectit in urbem.
Nil eſt in Venetis, quod non mireris in ipſis:
Divorum haec urbs eſt, ubi tutam figere ſedem
Tot docti voluere, & ſacros veroſque ſubinde
Nantes in medio teſtes aluere profundo.
Haec poſtquam ingenio curaque eſt viſa ſagaci
Inſula, perceptiſque libris, & legibus illis,
Padua, *Puteoli*, *Genua*, atque *Neapolis*, & quae

Mediolana capit regio, tibi cernitur, alta &
Mantua, vae, miſerae nimium vicina Cremonae,
Mantua virginei ſedes celebrata Maronis.
Andiades Nymphae, patula quibus arbore tectus
Tityrus argutae calamos inflavit avenae,
Atque ſuas docuit reſonare Amaryllida ſilvas,
Salvete, atque o vos fontes, loca conſita lauro,
Et vos clivoſae, veterum monimenta, ruinae,
Dulcis ubi vitreas primum Maro luſit ad undas,
Salvete, & veſtrum plectris cantate poëtam.
Maieſtas ſua rebus ineſt, ſuus omnibus horror
Arboribus, lautis etiam ſua gloria Nymphis.
Ipſa mihi ad numeros agitari arbuſta videntur,
Et reſonas ſalices, reſonos in carmina fluctus
Longe exaudimus, vocales verſibus alnos,
Atque novos vatis cantantes paſcua cygnos.
Haec ſi me afficiunt, cui non loca viſa fuere,
Quae tibi, FABRICI, non ſurgat corde voluptas,
Qui loca vidiſti, quiſque acri percitus oeſtro
Arma virumque canis, memorique in priſca recurris
Secula, & antiquum repetis ſub tegimine carmen?
Sed iuvat ulterius *latios* inviſere colles,
Et quae *tyrrhenum* pelagus, quaeque *Hadria* lambit
Oſtia, divino ſulcata hadriatica Paulo,
Cum vinctus dominam raperetur compede *Romam*.
Hanc quoque reginam curioſa mente tueris,
Romanumque Iovem, tarpeia rupe tonantem,
Ac vaticani pompoſa palatia templi,
Albanosque Patres, & tot, ſacra nomina, Cleros,
Atque alios de gente viros. Vidiſſe iuvabat
Graecorum ritus, atque euchariſtica ſacra,
Panis ubi Domini Chriſto victore notatus

Altari

Digitized by Google

Altari incumbit, quem lancea vulnerat illa,
A parochi traiecta manu. Mox aſpicis iſtas
Maronitarum, Palmarum tempore, ritus,
Qui tunc neſcio quam, facto modulamine, olivam
Luminibus plenam, populo plaudente, reponunt,
Vt rapiant, ſtudeantque aliquem decerpere ramum.
Non memorabo illas, quas te vidiſſe recordor,
Pompeii villas, Mariique & Cæſaris hortos,
Nec referam circos, obeliſcos, amphitheatra,
Thermas, naumachias, praetoria, mauſolaea,
Roſtra, & aquaeductus, excellenteſque columnas,
Atque triumphales arcus, & templa deorum,
Quae ſacrata deo Bromio, reliquiſque deabus,
Horrendum & templum, quod ab illis Pantheon audit,
Et ſat teſtantur, quo ſpiſſo errore vagatae,
Et plus cimmeriis tenebris, coecoque tumultu
Mentis, adorarint miſerae ſua numina gentes.
Aſt haec illi etiam obſervant, queis ſufficit, iſtic
Templa auguſta, fores auro argentoque ſuperbas,
Veſtes, ſidonia quas foemina tinxerit oſtro,
Mirari, & cupido percurrere talia viſu,
Quas perſonatus ſibi ſumpſerit hiſtrio partes,
Vel quae praeterito comoedia luſa theatro,
Aut ubi ſint gratae, pingui nidore, culinae.
Tu tibi longe aliud praefigis, & aſpicis illa,
Quae ſunt auditu iucunda, & digna videri
Emaculato oculo, naturam inquiris opertam,
Hiſtoriam, inciſos lapides, quae tempora ſignent,
Et bibliothecas, vel ubi antiquaria vendat
Cura libros, agiterque novus collegia praeſes,
Cum quibus & liceat ſermones caedere doctis,
Quos inter fuit *Octavius Ferrarius*, alpha

Oratorum, & magnus *Magliabechius*, ille
Praeclarus polyhiſtor, quem ſic Florentia mater
Extulit, ut libros ipſi concrederet uni.
Tu quoque Chriſticolas quaeris', quos ignibus hoſtes
Devovere mali, vel quos romanus adegit,
Cum rabidis urſis, aut depugnare moloſſis.
Hi cryptis latuere diu, terrisque repoſti,
Nunc lucem videre ſuam, ſanctique reſurgent,
Cum reliquus pius ordo ſuos explevit agonas.
Ingemis, ut multos Papa excommunicet agnos,
Qui ſimiles primis ſunt confeſſoribus illis,
Quos in honore habuit Chriſtus, quos Roma beatos
Praedicat, & ſacrata iubet ſpectare ſepulchra
Illorum, ac ſanctis altaria dedicat iſtis.
Proh pudor, haereticos tollendos iudicat igne,
Illos candidulos teſtes, & fulmine diro
Vulnerat inſontes, Chriſti qui ſanguine loti,
Nymphae agni, & ſancti gratiſſima portio regni.
Dicite, Pontifices, in templo quid facit iſta
Saevities? tantaene animis caeleſtibus irae?
O miſeri, qui vos ignes, araeve piabunt?
Quis vos Veſuvius, quis vos exuſſerit Aetna,
Aut quisnam fluvius noxam iſtam rite lavabit?
Tu tibi *Veſuvium* meliori mente revolvis,
Qui ſpatium meditandi illum tibi porrigit ignem,
Et multo fremitu lapides, & ſulphura mille,
Horribilis viſu, fumans uno eiicit ictu,
Cocyto ſimilis furioſo, ut Tartara credas
Speluncam celare ſuam, damnataque clauſtra
His ipſis ſontes animos exurere flammis.
Mirum hoc oſtentum eſt, ſed mirabilius illud,
Quod Deus occultis, qui tot bona ſaepius iſtis

Elicit

Digitized by Google

Elicit e nocuis, hoc ipſo ſulphure iacto
Baienſes ſenſim calefacto flumine thermas
Ordinet, ut, ſi quis forſan luxaverit armos,
Aut coxendicibus, pedibus, manibusque refractis
Claudicet, haud ullo ſit opus medicamine & herba,
Neve ut Chironem laeſus ſibi quaerat amicum,
Sed calidis ſanus redeat feliciter undis.
Magna etiam rapuit veſtram admiratio mentem,
Cum viſu caperes horrendas cautibus *Alpes*,
Surgentes Alpes, patulas quas fecerat ille
Hannibal, & Poenis longe graſſantibus iſtas
Stravit, quasque olim Galli fregere feroces.
Res viſu mira eſt, ſua quod capita ardua tollant
In coelum, atque ſua cervice vel aëra rumpant,
Aëre maiores: dicas, hic Pelion Oſſae
Impoſitum, aut ipſum fulcris requieſcere coelum.
O quam magna Dei ſunt mirabilia abyſſus!
At quantus Deus eſt, verbo qui talia fecit!
Iſta tuo fluxere pio ſuſpiria corde,
Haec cum, FABRICI, aſpiceres, digneque notares.
Omnibus his animo prudenti rite peractis
Italia excedis, qua ſeptem forte per annos
Vſus eras, linguaeque potens, ſimul *itala* noras
Ipſe docere alios: ſapiens & *gallica* calles,
Et *Britonum* linguam, ac *hiſpanica* percipis ora,
Exemplo oſtendens, quid in extera regna profectus
Poſſit, & agnoſcat fructum tua patria tellus,
Ac ſtudii tot ſigna tui, nec te aureus Arnus
Duxerit ad ſua vina, aut fregerit improba Cypris
Pectora, & in luxus animos laxarit inertes.
Hocce tuum mauſoleum, praeluſtre theatrum
Hoc eſt, factorum & praeclara palaeſtra tuorum.

Haec patria admirans, & quid ſperaverit, abs te
Ipſa videt, redditque locum, quem Dürrius olim
Ornarat, ſanctaeque tibi dat roſtra *cathedrae.*
Vix ſpartam hanc nactus, nativo duceris aeſtu,
Gallorum imperium, & doctas Tritonidis arces
Viſere, & ardentes ſpectare in frigore Muſas.
Indulſere Patres, & Cancellarius ingens,
Norica quem doctis respublica iunxit Athenis,
Late altorfinae Muſarum iudicat urbi
Lucem affulſuram, ſi, qui laurentia vidit
Compita FABRICIVS, poſſit quoque viſere Gallos.
Hinc petit *Alſatiam*, proficiſcitur Argentinam,
Et *Lotharis* miſſis, Celtarum cernere fines
Incipit, & tandem *pariſinam* conſpicit urbem.
Vah, qualis facies! non urbs dicenda, ſed orbis,
In quo urbes variae. Rex aſpectabilis oſtro,
Sancit ſacratas in publica commoda leges,
Et mentem immenſam curas extendit in omnes,
Ne quid in imperio titubet; dat frena furori,
Nec ſinit, ut pereat per mutua vulnera pubes
Gallica, vindictamque ſuam devolvat in hoſtem.
Nec poſſunt Muſae quin illum ad ſidera tollant
Indigenae, ſub quo tutae tanta otia carpant,
Ornarique ſuas videant feliciter artes.
Rex alit egregios homines, doctamque catervam
In Delphini uſum, cui cultos ordine libros,
Quos romana tulit ſeclis florentibus aetas,
Dedicat, & pulchra tegit exemplaria veſte.
Sic ſe Roma videt, denſaque in nocte ſepulti
Docti oratores, vita ſpirante, reſurgunt.
Hic magni vates, poſito ſqualore ſituque,
Prodire incipiunt, tanto ſervire parati

Prin-

Principi, in occurſum ſtudiis ſe ardentibus urgent.
His te, Fabrici, ſocias, commercia miſces
Docta, audita notas, memorique in mente recondis.
Sorbonam ingrederis, quae, ſicut ſtoa, politis
Foeta viris, quaeque ampla domus, tot Pallade plena
Pectora, tot veterum congeſta volumina Patrum,
Tot doctas noctes, vigilataque ſcripta per annos
Servat, & aeternum mittit per ſecula nomen.
Hiſtoricos illic videas, qui ſingula ſervant,
Et fugitiva tenent iniectis tempora frenis,
Qui francos Regum annales, & fortia facta
Deſcribunt, & queis moderetur legibus orbis,
Quique poteſtates herbarum, occultaque rerum
Explorant elementa, & qui ſuper aethera recti
Diſſita ſubiiciunt oculis propioribus aſtra.
Sunt etiam ad nudos aſpectus ſcandere ſueti
Numinis, & coelo intenti ſua myſtica volvunt.
Hic ſanctae & purae mentes, mundoque profano
Ignotae latitant, quas, ut ſua ſemina, Numen
Servat. Relliquiae hae veterum, quibus ardor amandi
Coelicolas non parvus ineſt: *Dionyſius* illas,
Credo, afflat, tantae qui primus apoſtolus urbi,
Et qui cum Damari, quae erat eius amabilis uxor,
A Paulo in claris quondam converſus Athenis.
Hic tecum ipſe domum peterem, *Verſalia* ſed me
Detinet, invitumque trahit domus inclyta, magnum
Regis opus, dignumque coli, quam laudibus ornas
Magnificis, quanto tecti ſplendeſcat honore,
Quot fontes habeat, rivos, & amoena fluenta,
Quodque adeo hic habitent, inter tot divitis aulae
Regificos luxus, admirando ordine Nymphae.
Eſt locus irrigui liquidas Euphratis ad undas

Pul-

Pulchrior, & frondoſa comis viridantibus horti
Pars melior, teneri ſaliunt e gramine rivi,
Saxa virent, niveisque albeſcunt floribus agri.
Nil illis Pomona hortis verſalica cedit,
Fragrant vernantes caſiae, duransque amaranthus,
Et crocus & nardus, & olentis germen amomi.
Hic roſa puniceos inter celeberrima flores,
Lilia liligerum ſunt hic decorantia regem;
Cedrus odorata, & venturi praeſcia laurus
Panditur, innumeraeque aliae ſine nomine Florae,
Vt celebris vincat viridaria ſplendida Craſſi,
Et facile Heſperidum ſuperet ſplendoribus hortum.
Hinc etiam caput erigere, & de fronte ſuperba
Deſpicere obſcuras nova nunc regina ſorores,
Regalesque inter par Nympha incedere Nymphas
Audet, & in ſeris primatum poſtulat actis.
Nil tale Aegyptus, dum victor ab hoſte redibat,
Nil vidit par Roma, & non vidiſtis Athenae.
His a deliciis raptus, per celtica tendis
Lugdunum, cultamque ſua in regione *Genevam*,
Helvetiisque iugis ſuperatis, *ſuevica* tranſis
Iugera, & *Altorſum* non una voce ſalutas.
O altorfinae multum hic ſalvete Camenae,
Paſtores ſalvete omnes, qui dulcia Pindi
Culmina diligitis, pegneſiaque arva fovetis.
Langi noſter amor, quem primum ante omnia pono
Nomina, qui ſancti firme myſteria regni
Interiora tenes, Paulique fideliter hauris
Senſa animi, ſanctamque fidem, quae eſt ſpiritus & vis,
Reiectis operum meritis falſoque piaſmo,
Reſtituis, reddisque decus, quo gratia ſola
Gratia ſit, purumque ſuum producat amorem,

Salve,

Salve, & cantati pulcherrima gloria Pindi,
Dulcis Damon, *Omeis*, magni quem Caeſaris aula
Suſpicit, & Comitis palatini mactat honore,
Pegneſiorum inter praeſes electus olorum :
Tuque *Rotenbecki*, ſanctae victura Sionis
Gloria, & innocui ſincerus cultor honeſti :
Tu quoque *Wernere* inſignis, qui Iuſtiniani
Iura tenes, legesque Dei veneraris amatas,
Et das exemplum : nec tu, celeberrime *Spizi*,
Es minor, a veris iam tum laudatus amicis,
Quod primum his lapidem pietati ſtruxeris oris :
Tuque *Hoffmanne*, decor medica praeluſtris in arte,
Quem reges cupiunt medicum, magnique dynaſtae,
Salvete ex animo, nec me dimittite veſtro.
Quin tu etiam, o celebris mihi Norimbergia ſalve,
Aeternumque vale : tu noſtra vocabere ſemper,
Et magnum mihi nomen eris. *Wincklerus* amatur
Veſter, qui clauſis oculis coeleſtia vidit
Regna, Deo plenus *Marperg*, pietatis imago
Sincerae *Ambroſius Wirth*, *Culmich*, *Boehmius*, & quos
Omnes cura tenet Solymae divina ſupernae.
Nec te praetereo, *Tucher*, qui more vetuſto
Maiorum, aeternas templo, pia lumina, flammas
Ipſe alis, in Chriſtum vigilantis ſymbola mentis.
Veſtra animo, *Fürere*, meo quoque vivida virtus
Verſat, & ingenium, quo carmina Caeſare digna
Fundis, patricias inter fax fulgida ceras.
Quas vero grates reddam tibi, nobilis *Imhof*,
Nobilior meritis, pietas cui candida curae eſt,
Et ſincera fides ? Quas, *Harsdörffere*, paratas
Ore canam laudes, quem dudum a pluribus annis
In patre dilexi, rutilis qui ſcriptus in aſtris

D Vivit

Digitized by Google

Vivit adhuc, neſcitque mori? Neque iam, inclyte *Lochner*,
Phillyrides inter celebris, doctosque Melampos,
Ipſe tui ſum oblitus: teque, o divine *Thomaſi*,
Grato in corde fero, dum ſpiritus hos regit artus,
Qui Superos factis, famam virtutibus aequas,
Ingenioque ipſum ſapiens tranſcendis Olympum.
Quid memorem veſtros, tot ſplendida nomina, cives?
Ingolſtätterum celebrem, cui maxima laus eſt,
Principibus placuiſſe viris? Quo carmine cantem
Wincklerum, inſignem merito & virtute, beatum
Quem celebrant cuncti, & quem totis diligo fibris?
Tuque hamburgenſis *Berens*, qui aeraria comples
Norica mercator, vosque, o nitidiſſima nobis
Nomina, *Müllere* & *Schmidti*, tuque optime *Pflüger*,
Et *Ruſii* ac *Braunl*, cum vindelico *Grebnero*,
Cumque aliis, quorum conciſa haec pagina nomen
Non capit, at memori quos ſemper mente recondam,
Qui cum *Volckmario* blande foviſtis amicum,
Et non fucato nos exhilaraſtis amore?
Non ſuccenſebis, fautor, quod laudibus hiſce
Immorer, atque tuos hoc effero carmine cives,
Conſcriptosque Patres patriae, Phoebosque nitentes.
Ne grave ſit, patriam, quo te contendere cerno,
Ipſe etiam recolam, quaeque illic grata fuerunt,
Illam, quam colis ipſe, & quae clariſſima per te
Facta, ſuosque tibi non paucos debet honores.
Tot titulos inter, praeclaraque robora mentis,
Vna tibi deerat, quae tantum extendere nomen
In ſeros poterat mater foecunda nepotes.
Ecquid, Amor dixit, tu ſic producere vitam
Solus amas? an erit nullus tibi ſanguinis haeres,
Et triſtes ſine prole dies, nullique hymenaei,

Nulla-

Nullaque ſuccendet fervoribus uxor amorem?
Captus, habet. Virgo accedit, thalamumque coronat.
Illa thori dulcis ſocia, & pars optima cordis,
Aemylia, *Hoffmanni* magni, celebrisque Galeni
Filia, caſtarum ſoboles praelata dearum,
Quae te ter patrem fecit, *natumque* reliquit,
Ambabus letho abreptis, hoc ſoſpite ſolo.
Digna patris magni ſoboles, & dignus amari,
Quique utriusque Dvcis ſublimia (*) nomina geſtat,
Spes generis, columenque tuae laudabile gentis,
Vnaque Fabriciae viva expectatio cerae:
Qui vix ſexennis, praecox hebraea latinis
Iunxit, & ingenio cunctos praevertit ephebos.
Sic decorat te dulcis Amor. Sed culta Minerva,
Qua fluit obliquis amnis ſalanus ab undis,
Virgineam praebet laurum, ac *Doctoris* honore
Mactat, & auratis inſcribit nomen in aſtris.
Non poterat celare diu te maxima virtus:
Vndique ſplendeſcis, veluti mons neſcius abdi,
Se populos fundit ſuperexaltatus in omnes.
Illa etiam, quondam fuerat quae ſedula mater
Extollendorum & nutricula fida laborum,
Illa ad ſe traxit cunctis te *Iulia* nervis,
Agnovitque ſuum, magna ad ſubſellia natum,
Vt primus fieres doctor, qui dogmata verbi
Spargeret inviolata, & pronas duceret aures
Ad Dominum, & ſancta nutriret pectora pace.
Mox Luneburgenſis Princeps, Antonivs ille
Vlricvs, quantus Princeps! cum fratre Rvdolpho
Avgvsto, ſummos tibi decernebat honores,
Et te *a conſiliis ſacris*, digniſſime præſul,

D 2 *Abba-*

(*) Dictus *Rudolphus Antonius.*

Abbatemque vocabat, ut a te nobilis Elmus
Nobilior fieret, famamque inferret Olympo.
Tu quantus, qualiſque, tui teſtantur abunde
In lucem emiſſi (*) *libri* : quid amoenius illis,
Quid melius ? nam defuncti *Syſtema parentis*
Per te robur habet, viresque acquirit eundo.
Quid reliquas tentem calamo percurrere chartas ?
Plus valet inventus *Petri Denarius* a te,
Quam vel mille alii : commendat criticus illum,
Et coelo extollit. Tua diſſertatio, *Scylla*
Dicta, aliquam Scyllam nobis, quae plena pericli,
Proponit, varioſque errores detegit ipſa,
Abſque errore omni monſtrans, quo regia ducat
Semita ; nam coecus mundus, lunaticus ille eſt,
Qui ſeſe iam in aquas, iam praecipitabat in ignes,
Ignoranſque viam mediam, molimine vano
Dum ſtultus vitat, vitia in contraria currit.
Quæ *Paradoxa* vocas, non ſunt paradoxa vocanda,
Nec plagii meruere notam, ſi, te interprete, lector
Iudicio leget haec. Quanta eſt *Prudentia*, docte
Quam tu praeſcribis, ſine qua vel & optima quaeque
Crimen habent ! Tua quo & *Moderatio* candida tendit,
Tam ſuſpecta aliis, quam quae acceptiſſima Chriſto,
Qui ſanctam voluit pacem praeponere bello,
Quod contra errores geritur ſine pacis amore.
Sancta Alethaea quidem, coelo quae venit ab alto,
Quaeque eſt ipſe Deus, non eſt de paupere regno,
Nec parvi facienda, ſed illam fortiter omnes,
Qui nomen Chriſto dedimus, defendere fas eſt ;
Aſt in amore decet multo moderamine ferre
Errantem, & ſi quem videas declivia volvi

In

(*) Opere *Amoenitatum theologicarum* comprehenſi.

In loca, plena metus, recto deducere pedo.
Affectus fugito, rebus ſis arbiter aequus,
Et praeiudiciis careas, ſis parvus ocellis
Ipſe tuis, precibus multis ſuſpiria mitte,
Commendesque Deo cauſam: ſic, credito firme,
Plus vinces, quam ſi vel mille anathemata ſpargas,
Emittasque tuos alta cervice furores.
Non opus eſt, rixis multos excire tumultus,
Res magna eſt Alethaea, Dei ſanctiſſima nata,
Quae cataphracta ſatis, mundi non indiget armis,
Aut clamore ullo, ſi quocum dimicat ipſa:
Nuda ea plus poterit, quam ſi furioſus Oreſtes
Et furias, rabidasque minas, & fulmina iactet,
Ac ſe ipſus iugulet, raucis inglorius armis.
Aurea diſcentes docet haec moderatio cives,
Quam ſine bile omni lenis, ſed fortiter urges,
Quomodo ſit nocuo melior concordia bello.
O quam laudanda eſt tua cauta *Eclectica*, qua nos
Inſtruis, unguentumque paras, quo ſacra profanis
Poſſimus recta iuſti diſcernere lance,
Spiritibus menſuratis cum pondere, ne nos
Iuremus temere in coeci verba magiſtri!
Caetera (*) *ſcripta*, pio & docto meditata labore,
Cum cura inſigni voluiſti tradere mundo,
Quae non feſtinum ſapiunt praepoſtera partum,
Qui coecos gignit catulos, ſed tempore iuſto,
Vel nonum velles decimumque premantur in annum.

D 3 Hoc

(*) Vt ſunt *Annotationes* in Compend. theol. D. Baieri, *Diſſertatio* de Reverentia erga ſacra, *Memoriae* Mart. Beerii, Io. Sauberti, & Frid. Vlr. Calixti, *Oratio* de Templis veterum chriſtianorum, ac *Praefationes* in Sauberti opera poſthuma, & Gul. Forbeſii Conſid. Controverſ.

Hoc (*) *liber ille tuus* conſiderat, optimus ille,
Rixoſis ſudes oculis, quem neſcio qualis
Lurco vorax atro & funeſto dente momordit,
Seque fatigando, vario aëra diſcidit ictu.
Sint procul a nobis bella illa, immania bella,
Queis falſi inter ſe furioſe praelia fratres
Ritu cadmeo miſcent, ac brachia nudant,
Ceu Brontes, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.
Pellaeum iuvenem regum flexere ruinae,
Dediſcunt ſaevire ferae, ſaevique leones,
Quae ſtravere, eadem mites proſtrata relinquunt:
Soli illi, placido debent qui nomina Chriſto,
Theiologi, irarum pleni, flagrantia ſervant
Iurgia, & aeternis ſurgunt in praelia pugnis.
Haec non didicimus miti a paſtore fideles:
Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes,
Qui nos in Chriſto dileximus, & pia rixis
Oſcula praeterimus, iunctis in foedera dextris.
Nonne ſatis tetrico bellorum auditur in orbe,
Dum Mars rauciſono dirus tonat aere per omnem
Europam, & lacera vadit Diſcordia palla,
Et quatiens taedam ardentem, crinesque volantes
Tiſiphone, atratas urget ſaevire ſorores?
Et tu audes, pacis qui te natum eſſe fateris,
Pacificos turbare, & ſcindere dentibus agnos,
Et gerere aeternum ac inconſolabile bellum?
Inſurgit furiis ardens Albanus in Elmum,
Würtenbergenſes Giſſenſibus infeſtantur,
Iena ſuos hoſtes, & habet Mons regius hoſtes,
Atque pias ſaevis concurſibus itur in Halas.
Hoc ſcelus eſt, brevibus Gyaris, & morte piandum,
Frater

(*) *Conſideratio variarum controverſiarum.*

Frater ubi fratri ſit anathema, & omnia damnat
Eloquia, atque omnem, ſibi qui diſſentit, ad Indos,
Si poſſet, cuperet transmittere, vel Garamantas.
Vah Deus, in quaenam tu nos diſcrimina mittis?
Vltima ſunt certe iam tempora, de quibus ipſe
Paulus iam dudum cecinit: *Diſceſſio facta eſt,*
Noxque inſtat terris, horae & tentatio magnae,
In qua vix ipſi electi conſiſtere poſſunt.
Quisque ſuas ſequitur partes, & credit, quod optat,
Totque fides inter, totque inter iurgia ſaeva,
Exſulat ipſa fides, tacitum & migravit eremum.
Illa quidem, lingua quae ſit, confeſſio crevit;
Quae vera & ſola eſt, ab ea defecimus omnes.
Quisque ſuum crepuit Chriſtum, ſynodumque coëgit
Contra alium; aſt nemo Chriſti eſt, & nemo fidelis.
Paſtores fugere, & delituere ſub antris,
Et ſe ipſi paſcunt, & bacchanalia vivunt.
Quid faciant, miſera hac ſub conditione, bidentes?
Quo fugiant? quas in latebras ſuſpiria mittant?
Temporis haec noſtri ſcena eſt, haec intima noſtri
Fundi eſt pernicies, faciesque miſerrima templi,
Chara ubi manſueti tunica inconſutilis Agni,
Quam metuere ipſi diſcerpere faucibus hoſtes,
Foede hiat, & ſpurcis nimium laceratur agyrtis.
Flere, dolere libet: nam quod ſperemus amantes,
Vix ſupereſt, quam cum, confractis undique telis,
Sub Domini adventum, mutata eccleſia veſte,
Incipiat florere tuo, Philadelphia, ſeclo.
Vidit, & ingemuit mecum pius omnis, & ipſe
Fabricius, qui non eſt iſta de gente maligna
Rixatorum hominum, ſed qui pia foedera pacis

Dili-

Digitized by Google

Diligit, ut ſoboles pacis: namque omnibus omnis
Factus, in hoc ſudat, queat ut lucrarier omnes,
Atque unire Deo, ceu Paulus apoſtolus ille,
Iudaeis Iudaeus erat, gentilibus idem
Gentilis, ſitiens cunctorum mente ſalutem.
Nam licet haud cupias aliquid tu demere vero,
Sintque odio errores, & quicquid adultera quondam
Fabula commentorum in credula pectora truſit;
Nil tamen a charo te deturbabit amore.
Sic neque te pannoſa, rudis, mendaxque vetuſtas,
Oſtendens canos, rugasque in fronte ſeniles,
Quae credi ſibi vult, atque in ſua dogmata cogit,
Afficit, aut mentem turbat, praeſcriptio veri
Nulla datur, ſed quae ſententia verior, etſi
Sit nova, dum Chriſtus dominus, quique anteit omnes,
Dixerit, haec tantum tibi ſola vetuſtior audit,
Haec tibi ſola placet, qualis, vel quanta videri
Coelicolis ſolet alma fides, cretataque non ſe
Vendit, & aethereo pura interlucet amori.
Sic nobis es vere eclecticus, & bona ſi quae
Videris, ipſe probas, magni laudator honeſti,
Omnibus in terris, & coetibus omnibus illis,
Quos tu vel Romae, vel in illa ſede Genevae
Aſpicis, & purum Chriſti deprendis amorem.
In Chriſto namque eſt nec mas, nec foemina, non eſt
Servulus aut liber, non hic iudaeus apella
Gentilisve valet, neque vel Tharſenſibus ortus
Paulus, vel Petrus valet, aut facundus Apollo,
In Chriſto pretium eſt: eſt omnis, & omnia, Chriſtus,
Et qui ſunt Chriſti, quo tandem ſint nomine dicti,
Seu ſint Romani, ſeu ſint de gente Lutheri,
Sive Reformati, ſeu ritibus Arminiani,

Vel

Digitized by Google

Vel Mennone ſati, aut aliae ſub ſidere gentes,
Hi ſibi coniuncti fratres, coniunctaque membra,
Et conſanguinei, ac ex carne atque oſſibus iisdem.
Nam ſi in Sardinia Chriſtus tantum eſſe putatur,
Et circumſcripta eſt afris eccleſia terris,
Vt Donatiſtae quondam ſenſere furentes,
Pauper, egensque nimis factus fuit ille magiſter,
Qui cathedram in coelis habet, & pomoeria late
Extendit, multosque alibi ſibi ſervat amicos.
Hoc Petrus ipſe docet, doctus, monſtrante magiſtro,
Per viſum inſolitum; nam quando mordicus ipſe
Crediderat, gentes ſalvari haud poſſe ſub ipſo
Praeputio, tandem, cum mox Cornelius, ille
Ethnicus, angelico firmatus crederet ore,
Sepoſito affectu has produxit pectore voces:
Nunc vere experior, planeque ego talia credo,
Eſſe Deo nullam reiectam in pectore ſancto
Perſonam, acceptumque ipſi, qui credat, & ipſe
Iuſta agat, excelſumque Deo ſi praeſtet honorem.
Diſcite ab hoc Petro veſtram cognoſcere curtam
Menſuram fidei, & tenues nolite putare,
Omnia ſcripturae iam tum myſteria vobis
Eſſe revelata, & totam vos noſcere mentem.
Ille Dei praeco, & divinus apoſtolus, igne
Flaminis incenſus, multa ignorare fatetur:
Et vos, qui ſimiles illi non eſſe poteſtis,
Oeconomiam omnem, & ſecreta oracula noſtis?
Credite, longe alia eſt via Numinis omnipotentis,
Quam via veſtra, & amor veſtro coeleſtis amore
Diſtat, & immenſe veſtras tranſcendit Athenas.
Arcanum hoc noſti, Superis dilecte FABRICI:
Scilicet hic fructus, tantarum & meta viarum,

Digitized by Google

Cum vario multos peragrares ſidere campos,
Et lapſas coelo mentes inveneris illis
In batavis, latiisque viris, Gallisque ſub ipſis.
Aſt ego quo rapior? Laſſor ſpatio ipſe tuarum
Virtutum, ſequor atque ducem non paſſibus aequis.
Perge triumphatum tua ſub iuga mittere mundum,
Aeternis compar ſeclis: nil livor iniquus
In te iuris habet: magno vicinus Olympo
Non curas dentes, nec inania murmura linguae,
Nec ſi quis repens ſerpens epidaurius herbis
Sibilet, aut cupiant lunam allatrare moloſſi.
Nil terrent lemures, ſtryx, aut draco ſpumeus ore,
Qui per agros volitat, vel longo ventre locuſta,
Nec Dares hammonius, nec egenae Villicus algae.
Tu monſtra illa hominum, portentaque livida rides,
Et tibi ſecla facis, magno redeuntia gyro,
Atque novo ſemper; neque enim tua Muſa quieſcit.
Inſtas ipſe operi, creſcunt ſub pondere vires,
Nec bona deſtituunt generoſos munera motus,
Quos animans invitat honor, blandeque laceſſit.
Qualis, ab eleo rapidum quem carcere vidit
Graecia, vel celeres ſeſe effudere quadrigae,
Palmaque praecipites praeverterit aemula currus,
Bellator ſonipes animoſior haurit arenas,
Victori laudatus hero, ſuccenditur uſque
Immiſſus ſtadiis, & ſe ſuperare laborat:
Sic tibi perpetuos trudit labor ille labores,
Et medio in ſenio nunquam laſſaris eundo,
Ac alios, atque alios alacris revocaris ad uſus,
Vſque recens animo, & redeuntibus acrior annis.
Hinc tibi manſuros promittit Iulia faſtos,
Phoebeique tibi ſpondentes ſecula cives,

Actorum

Actorum recinunt ſublimia facta tuorum,
Ipſeque vel Princeps iugem teſtatur amorem,
Teque tuosque ſuis amplectitur aureus ulnis,
Ac titulos grandes, & laudum pondera mille
Apparat, atque ſuis figit tua nomina cedris.
Vive, faveque mihi, vivatque HOFFMANNIA coniux,
Illa tuae pulchrum decus atque corona ſenectae!
Aſcanius vivat, dignus qui ſcribitur haeres
Et Patris, & patriis virtutibus aemulus optat
Reſpondere tuis, qui vel iuvenilibus annis
Nil iuvenile ſapit, generi & maturus avito
Aeternaturam ſpondet producere famam!
Haec tibi, FABRICI, Guelforum maxime Praeſul,
Abbaque coenobii, monumenta paramus honoris,
Certi, quod calamos non aſperneris agreſtes,
Nec renuas parvam, grato ortam pectore, farram.
Haec tantum ſunt ſcripta tibi; nam ſcribere vatum eſt:
Subſcribant noſtris Superi, pia Numina, votis!

Digitized by Google

LAPIDARIA.

HOC. QVOD. VIDES. MONIMENTVM
IOANNI. FABRICIO
CELEBERRIMO. VIRO
AMOR. POSVIT
PIETAS. EREXIT
HONOR. PERFECIT
ALTORFINVS. ILLE
MEDIAS. INTER. MVSAS. NATVS
MAGNO. DIGNVS. SECVLO
A. TOT. VIRIS. CLARISSIMIS
PATRE. AVIS. PROAVIS. ABAVISQVE. DESCENDENS
IN. LVMBIS. MAIORVM
A. BEATO. MELANCHTHONE. BENEDICTVS
VOTI. VIRTVTEM. IN. SE. SENSIT. AMPLISSIMAM
AVRORA. IPSIVS. IAM. TESTABATVR. DE. DIE
ANTE. MATVRVS. QVAM. ADVLTVS
PRAETEXTA. PER. PRAECOX. INGENIVM. EXVTA
PVERILE. NIHIL. HABVIT. PRAETER. AETATEM
STVPENTIBVS. PRAECEPTORIBVS
NON. IRE. IPSVM. AD. VIRTVTEM. SED. RAPI

HINC.

HINC. VT. MINERVAM. RAPERET. AD. ATHENAEA. PROFECTVS
ITA. EAM. COLVIT. VT. MERERETVR. HABERE
ITA. EAM. HABVIT. VT. HANC. NEMO. POTVERIT. PRAERIPERE
TANTVM. TAMQVE. VASTVM. INGENIVM
VBIQVE. AD. ALTIORA. ERVMPENS
TAM. ARCTIS. PATRIAE. LIMITIBVS. COHIBERI. NON. POTVIT
VNDE. GERMANIAM. BELGIVMQVE. INVISENS
CALCATIS. ALPIBVS. VISOQVE. VESVVIO
ITALIAM. GALLIAS. ET. SORBONAM
AC. QVICQVID. IN. ILLIS. DOCTVM. AVT. RARVM. FVIT
OCVLO. MATVRO. VIDIT. AGNOVIT. DIIVDICAVIT
MAXIMI. INGENII. EST. MAXIMA. NOSCERE. INGENIA
ET. EX. TANTO. DOCTORVM. NVMERO. ELIGERE. QVAE SERVES
EX. OCTAVIO. FERRARIO. ET. MAGLIABECHIO
CELEBERRIMIS. ET. ILLVSTRIBVS. VIRIS
MVLTVM. SE. PROFECISSE. RATVS
PLVRA. IN. SE. CONCLVSIT. QVAM. QVAE. LAVDAVIT. IN EXTERIS
VERITATIS. AMANTIOR. QVAM. SVI
QVI. QVO. SE. MELIVS. NOSCERET. VIRTVTES. IGNORAVIT SVAS
ALIENIS. FACVNDVS. IN. LAVDIBVS. MVTVS. IN. PROPRIIS
SERVASSENT. SIBI. ILLVM. EXTERAE. TERRAE
QVAE. SVA. LINGVA. ILLVM. ET. LOQVI. ET. DOCERE AVDIERANT
NISI. PATRIA. PLVS. IN. IPSVM. IVRIS. HABVISSET
HAEC. FILIVM. SVVM. REVOCANS
MIRATA. TANTAS. DOCTRINARVM. GAZAS
PROFESSIONEM. THEOLOGIAE. IPSI. CONCREDIDIT
INTER. TANTA. NOMINIS. DECORA

Digitized by Google

AMICA. LAVRVS. ET. VXOR. DEERANT
ILLAM. FLORENTISSIMA. IENA
HANC. ILLVSTRIS. HOFFMANNVS. CONTVLIT
EX. QVA. FILIVM. VIDIT
QVI. AVITI. SANGVINIS. ET. VIRTVTVM. HAERES
NON. SOLVM. MAGNAM. DE. SE. EXPECTATIONEM. IMPLET.
SED. ETIAM. SVPERAT
VNICA. AEMYLIAE. SPES. AC. PATRIS. VOLVPTAS
SED. STARE. IN. VNO. LOCO. SOL. EIVS. NESCIIT
NEC. VIRTVS. DIV. CELARI. POTVIT
VNDE. ALIIS. ETIAM. NATVS
FABRICIVS. NOSTER
AB. ALTORFIO. AD. IVLIAM. VOCATVS
STVDIORVM. SVORVM. NVTRICVLAE
DEBERE. SE. ALIQVID. PIE. RECORDABATVR
A. QVA. ANTE. TRIGINTA. DVOS. ANNOS. DISCESSERAT
SERENISSIMI. PRINCIPES
HONORES. QVOS. HABVERE. SVMMOS. IPSI. DECREVERVNT
PRIMARIVM. IPSVM. PROFESSOREM. THEOLOGVM. CREANT
ATQVE. INFVLA. ABBATIAE. REGIAE. LVTERAE. ORNANT
NEC. NON. CONSILIIS. SACRIS. ADHIBENT
GAVDE. IENA. ILLVSTRIS
QVOD. TANTVS. A. TE. DOCTOR. REDIERIT
LITE. DVBIA
NVM. PLVS. LVCIS. AB. IPSO. QVAM. ILLE. A. TE. ACCEPERIS
GAVDE. IVLIA. ET. PLAVDE
TALEM. NACTA. THEOLOGVM
QVI. VERITATEM. ET. AMOREM
INDIVIDVAS. ILLAS. SORORES. ITA. IVNGIT
VT. AETERNO. CONIVGIO. COPVLENTVR
HORRET. ILLE. MVTVA. ANATHEMATA

BELLA

Digitized by Google

BELLA. ILLA. HORRIDA. BELLA
QVIBVS. FRATRES. CONTRA. FRATRES. INARDESCVNT
QVI. SE. ANTE. INCIPIVNT. ODISSE. QVAM. NOSCERE
MODERATIONEM. QVOQVE. ET. PACEM
QVAM. A. MITI. PASTORE. NOSTRO. DIDICIT
SVO. EXEMPLO. ALIIS. COMMENDAT
NEC. TAM. PAVPEREM. SIBI. CHRISTVM. FINGIT
QVI. IN. SARDINIA. TANTVM. SIT
SED. IPSVM. SVAS. HABERE. OVICVLAS
QVAQVA. PATET. ORBIS
CVM. SANCTO. APOSTOLO. CREDIT
HAEC. EST. ILLA. FIDES. CATHOLICA
HIC. AMOR. VNIVERSALIS
HAEC. THEOLOGIA. ECLECTICA
DEO. NOS. VNIENS. ET. CHRISTO. SVO
IN. QVO. OMNIBVS. SANCTIS. PLACES
SOLIS. INVISVS. MALIS
TAMQVE. INVISVS. RIXATORI. PERVERSO
VT. RIXATOR. CHRISTO
SVBSISTE. CALAME. LASSARIS. NON. SEQVERIS
NVBES. INTRAT. HAEC. AQVILA
IMO. IPSVM. COELVM
HOC. QVI. PRAESTITERIT
NON. TAM. LAVDARI. EVM. FAS. EST. QVAM. COLI

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google